

CAP. XII.

Ostendit quale sit illud primum principium, quia affirmatiuum, & quod sit illud quod Deus est, seu Deus est Deus.



Inuenio igitur quod primum principium complexum est in Deo, vel de eo, restat vltius quere, quale & quod est illud. Primo ergo querendum est, quale sit illud, verum affirmatiuum, vel potius negatiuum. Quod autem non sit pure negatiuum, apparet, quia pura negatio nihil ponit; Primum principium complexorum ponit, & causar omnia vera complexa sequentia, sicut capitulum proximum demonstrat, non est ergo pure & totaliter negatiuum. Nec est negatiuum pregnans, seu implicans, quia talis negatiua virtute solius negationis penitus nihil ponit, sed si forsitan quicquam ponat, hoc est virtute alicuius affirmatiue prioris quam importat: ergo illa affirmatiua per se ponit est primum principium complexorum: ipsa enim per se est causa veritatis in alijs, sed illa negatiua non nisi per illam, ergo illa prior. Sed nihil tale est primum verum complexum, & causa veritatis in alijs, quo est aliud verum prius, & alia causa prior. Item sicut 2. capitulum ostendebat, omne quod est per accidens aliquale, reducitur ad aliquod prius, quod per se est tale: talis autem negatiua implicatiua seu pregnans tantum per accidens ponit & causat in alijs veritatem; ergo reducitur ad aliquod per se prius, cuius virtute hoc facit; illud ergo aliud prius & magis causat veritatem in alijs; igitur illud est potius principium complexorum. Hoc etiam aliud est prius verum, & causa veritatis huius negatiua, ergo illa non est primum verum, nec primum principium complexorum. Item secundum Philosophum 1. Post. 17. Demonstratio affirmatiua est dignior, melior, & nobilior, prior & honor negatiua, & propositio affirmatiua propositiue negatiua similiter, vbi dicit & probat. Omnis enim negatiua per affirmatiua probatur, & cognoscitur, non e contra. Item sicut demonstratio affirmatiua ad negatiua, sic propositio affirmatiua ad negatiua; sed demonstratio affirmatiua precellit negatiua in conditionibus sapientis; quare & propositio affirmatiua precellit similiter negatiua. Quod autem affirmatiua probet negatiua & non e contra; patet, ex libro Priorum de omnibus syllogismis. Et quod negatiua cognoscitur per affirmatiua, & non e contra, sequitur ex ipso, & patet similiter; quia priuatio cognoscitur per habitum, & non e contra; vt probat Philosophus 3. de Anima 25. & patet similiter in Comment. Vnde & Auicenna 1. Meraph. 5. Esse notius est quam non esse; Esse enim cognoscitur per se, non esse vero per esse. Quibus & consentit Augustinus 12. de Ciuit. Dei 7. dicens tenebras & silentium esse nota, non sane in specie, sed in specie priuatione: Affirmatio autem est esse quodammodo & habitus, vel hanc importat; Negatio vero non esse atque priuationem. Item omnis negatiua vera habet affirmatiua maiorem priorem, quae sit causa illius, vt patet per Philosophum 2. peri hermenias vlt. sic dicentem, Si quod bonum est, & bonum est, & malum non est; hoc quidem secundum se, scilicet est bonum, illud vero secundum accidens, scilicet non est malum: Accidit enim ei malum non esse; magis verior est in quoque vera, quae secundum se est, & etiam falsa; ergo hanc bonum est bonum, hancior est prior, quam ista, bonum non est malum. Est etiam causa illius, quia enim bonum est bonum, ideo non est malum, & non e contra; quia non esse malum, penitus nihil ponit; & per consequens nihil causat. Primum ergo principium complexorum nullatenus negatiuum, sed affirmatiuum sitimur arbitrandum. Ostendo igitur quale sit illud principium, iam superest inuestigare vltius quod sit illud, Vtrum videlicet sit Deum esse, an Deum scire omnia vera, vel Deum velle omnia vera; quodlibet enim horum posset tale principium estimari: Nam sicut ex 9. huius apparet, voluntas Dei est prima & summa causa omnium, quare & omnium veritatum; ergo Deum velle est primum principium complexorum. Sed haec estimo non est vera; Illud enim non est primum verum quod est aliud verum prius; sed Deum velle habet aliud verum naturaliter prius eo, scilicet Deum cognoscere, quoniam Deus naturaliter prius cognoscit quodlibet volutum quam velit illud. Omnis enim volutio est necessario praecogniti, sicut iam Philosophis quam Theologis satis constat. Ideoque poterit apparere Deum cognoscere siue scire, esse principium iam questum. Sed apparet ista fallere; Est enim aliud verum naturaliter prius isto, scilicet Deum esse, Deum esse cognitiuum; Deum esse omnipotentem cum similibus suis, distinguendo & multiplicando ista in Deo, & secundum

Auicenna  
Augustinus

E

dum primum principium, sed inaequaliter aut inaequaliter, sicut iam Philosophi quam Theologi solent loqui, sicut ab Aristotele in De Mundo iam superius allegatum. Et patet idem per eundem 12. Metaph. multis locis, & per Auerroem in Comment. 39. hoc idem plenus declarantem; quod etiam docuit Plato. Auerroem, Magari, & Auicenna restantur concorditer, sicut probant superius allegata. Sic etiam loquitur Apostolus ad Romanos 1. cum dicit; Inuisibilia Dei a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur; sed sempiterna quoque eius virtus ac deitas; & alibi in sacra Scriptura crederentur. In istis quoque Augustinus de Trinitate, et alij ac exoterorum Sanctorum, et inueniuntur Doctorum distinguuntur quodammodo, potentia, scientia, & voluntas: Multa enim potest, & scit, quae non vult; idem potest de iustitia, gratia, & misericordia, & multis similibus, omnibus satis nota. Vt autem istud principium possit facilius inueniri, sciendum secundum Philosophum 2. metaphysic. Quod quicquid est de se, & a se, a se naturam erit naturalis, intellectus tamen animae nostrae sic se habet ad eum, sicut oculi in Nyctiorum ad lucem dei, scilicet ipsum Solem. Et haec est equaliter ex limositate corporalis materiae oculos animae obumbrantis. Quam diu igitur corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrae habitatio deprimit sensum plurima cogitantem, non potest homo intelligere Deum perfecte sicut est, ipsomet dicente. Mosi deprecanti. Non poteris videre faciem meam; non enim videt homo, & vult, Exod. 33. Quare secundum Philosophum 1. Physic. & alibi; Innata est nobis via a notioribus nobis ad notiora natura, quae sunt simpliciter notiora, a posterioribus scilicet ad priora, & transiunt ad causas. Nominatur quibus Deum cognoscimus, non significant ipsum per se essentialiter, & penitus absolute; quoniam a creaturis, & effectibus notioribus nobis transferuntur ad ipsum ignotiores nobis; licet simpliciter notiores. Ideoque dicit Philosophus in De Mundo vlt. Cumque siueus; multi homines est gaminatus ab omnibus passionibus quas inuolat; Vocatur enim Iupiter, Zima, filius Satarai, Enicus, fulmineus, phuialis, tonitrualis, tempestuosus, fereus; & in summa loquendo, coelestis & terrestris appellandus a qualibet natura, & fortuna, velut ens ipse omnium causa, cui & concordant Hermes atque Dionysius superius recitati. Vnde & Rabbi Mosè de duce dubiorum, 58. Omnia nomina Creatoris, quae inueniuntur in libris sunt sumpta ab operibus, praeter unum nomen quod est appropriatum ei, scilicet tetragrammaton, & idcirco vocatur nomen separatum, quia significat sapientiam. Creatoris significatio pura in quo non est participatio. Si igitur ut hic dicit, nomen Domini tetragrammaton, vel quodlibet aliud significet Deum pure, subiiciaturque verbo seu praedicatori simplicissimo, siue purissimo dicto de Deo, propositio sic affirmans eius primum simpliciter verorum omnium complexorum, & principium primum intrinsecum totius generis complexorum. Stant enim nomen creatum, nec aliquid aliud ab vno Deo Verbo, quod est eius imago perfecta, significet eum pure, quod repugnat magis probabile; ponatur quod hoc nomen, Deus; quod est tetragrammaton; quatuor scilicet litterarum, imponatur Deo absentia eius pura, & significet eum purissime, quo poterit comprehendere aliqua creatura, & propositio coniungens simplicissime & purissime verbum vel praedicatori purissimum cum isto subiecto, est principium iam questum, scilicet Deus est, vel Deus est Deus. Quod autem propriissimum & purissimum nomen Dei; ab eius pura essentia imponatur, patet, ipsomet docente Moysen nomen eius scire volentem, dicendo; Ego sum qui sum, Exod. restio; quam auctoritatem tractans Rabbi Mosè, vbi prius & vult quod hoc nomen a nomine competat ipsi Deo, & significet Necessesse esse, & supra 58. dicit; Quod nomen Necessesse esse, quare nomen sumptum a pura eius essentia videtur sibi propriissime conuenire. Apparet ergo quod Deus est, vel Deus est Deus, sit primum principium complexorum, si praedicator & verbum essentissimum, & propriissime correspondet demer significet vt subiectum. Sunt autem vera duplicia, superiora scilicet, & inferiora; inferiora vera, sunt omnia dicta de creaturis, vel creaturis; & vniuersaliter de quocumque quod non est Deus, vel etiam de Deo, vt per se patet, vt Deus est Dominus omnium, vt Creator: Vera superiora sunt, quae de solo Deo dicuntur, vt Deus est potens, sapiens, atque bonus. Horum nomen haec quidem sunt, quae modo posteriora naturaliter, haec priora. De istis enim est Deum velle, quoniam potest esse cognoscere, quam esse. Esse enim naturaliter haec praedicat vt vniuersaliter omnia creatura. Quod licet de se satis appareat, potest tamen per simile videri. Esse enim illud quod est creaturis praedicat naturaliter, tunc esse carum determinatum ad esse tale vel tale, dicitur quia propositio de causa, Primum enim creatum est illud, & non est ante ipsum creatum aliquid, quare & simile se videtur. Ilab omni

Aristoteles  
Plato  
Auerroem  
Magari  
Apostolus

Rabbi Mosè

Ilab omni

*nius* Creator: Item per superius habita. Primum principium complexorum est affirmati-  
 tiuum, quia ergo potest aliud affirmare, quam esse primum de ente primo, purissimum de  
 purissimo, & simplicissimum de simplicissimo; quarelibet enim affirmatio alia posterior erit  
 tali. Videatur quidem esse, vel Deum esse Deum, esse simpliciter primum principium  
 complexorum. Illud enim verum est principium creatorum, quod naturaliter ipse præce-  
 dit. Vnde & Anselmus de veritate 10. Omnia summa verum debent; ipsa vero nulli quic-  
 quam debet; nec ulla ratione est quod est, nisi quia est. Hic forsitan aliquis sic opponet. Il-  
 lud non est primum verum esse aliud verum prius, sed Deum esse aliud verum prius,  
 scilicet Deum posse esse; sequitur enim de quocumque, hoc est ergo hoc potest esse, &  
 non conuertitur; ergo per illam definitionem prius non est, Deum posse esse, est prius  
 naturaliter quam hunc esse. Hac autem arguitur præca in materia. Prius enim est Deum  
 esse, quam posse esse, quod videtur mirabile, sed est verum. Omne enim positio seu po-  
 tens esse aliqua potentia existente priore est tale; Deus autem non est potens esse per aliquam  
 potentiam alienam; Non enim indiget viro tali, nec per potentiam aliam præcedentem,  
 cum nulla sit talis: est ergo Deus potens seu possibile esse per potentiam propriam sibi actuali-  
 ter inherentem; Potentia autem possibilitas seu potestas est vniuersum attributum diuinum, pri-  
 us ergo naturaliter est illud cui attribuitur & inhiæret, scilicet essentia pura Dei; quare & Deum  
 esse videtur prius naturaliter, quam Deum posse esse, sicut ibi potest prioritas assignari. Hoc  
 autem totum ex primo huius apparet. Causa autem quare magis apparet congruum, est  
 quia ita est in omnibus alijs circa Deum, à quibus sicut superius dicebatur, assurgimus ad cog-  
 nitionem Dei; iudicantes sic esse in omnium Creatore, sicut est in omnibus creaturis. In his  
 enim omnibus posse esse præcedit actualiter esse; Totus enim mundus potuit esse quam  
 esset, & cum non ens nullam potentiam habeat, mundus quando non fuit, non fuit possibile  
 esse per potentiam propriam, sed diuinam. Vnde Anselmus de Casu diaboli 12. quod nihil est  
 omnino nihil habet, & ideo nullam habet potestatem, & sine potestate omnino nihil potest, &  
 mundus antequam fieret nihil erat, ergo omnino nihil antequam esset potuit; non potuit ergo  
 esse, antequam esset; quare antequam esset possibile, & impossibile fuit cum esse; et quidem  
 in cuius potestate non erat, ut esset, erat impossibile; sed Deo in cuius potestate erat, ut fieret,  
 erat possibile: quia ergo Deus prius potuit facere mundum, quam fieret, ideo est mundus, non  
 quia mundus potuit prius esse.

|| ipsum

Anselmus.

C

CAP. XIII.

Ex istis quasi Corollariè 12. partes insert.



*X* hoc autem multa quasi corollaria videntur inferri.  
 Quod actus est simpliciter prior potentia.  
 Primum, actum esse simpliciter priorem potentia in mobilibus  
 & non mobilibus, temporalibus & eternis. Hoc ex priori-  
 bus suis patet, loquendo de primo actu simpliciter, qui est purissi-  
 mus, absolutissima, & actualissima essentia summi Dei, ex qua  
 velut ex radice postea nascuntur, tempore propagantur, omnia  
 attributa diuina, quibus medijsque, ex sua fecunditate in hanc  
 sta germinat ceteras creaturas. Quare & Aristoteles 9. Me-  
 taph. 13. & post diffuse probat quod actus in omni motu &  
 immobilitatis est prior potentia tribus modis, scilicet ratione, id est, determinatione, sapientia, id  
 est, perfectione, & tempore, quodammodo, & quodammodo non; quodlibet enim inditri-  
 dum generatum prius est in potentia quam in actu, sicque potentia prior est actu, sed illud à  
 quo in diuiduum generatur est necessario prius in actu, sicque actus præcedit potentiam tempore.  
 docent Philosopho: Semper enim ex potestate ente fit actu ens, ab actu ente, semper  
 mouente aliquo primo, mouens autem actu iam est. Et infra 17. Palamque prior actus po-  
 tentia substantiali, & tempore, semper enim præcipitur actus alius ante actum, vnde actum  
 qui est semper mouens primum. At vero & magis proprie, Nam semper in priora sub-  
 stantia corruptibilibus, ubi dicit Auerroes, Actus qui est motor præcedit tempore tem-  
 poram, & ascendit hoc ad primum motum & primum motorem. Declaratum est enim in  
 Phy-

D

E

A Physicis, quod omnia mota reducuntur ad primum motorem, qui est actus in quo non est po-  
 tentia omnino, scilicet ad mutabilitatem aliquam in seipso, vt 5<sup>m</sup> caputulum præmonstrauit.  
 Quod esse est prius simpliciter, quam non esse.  
 Vnde & secundò monstratur quod esse prius est simpliciter quam non esse; esse scilicet pri-  
 mi actus, sicut ex proximo satis patet. Vnde Auerroes super 9. Meta. comment. 13. vni-  
 uersaliter quia potentia est non esse, & actus esse, necesse est vt esse præcedat non esse. Rursum  
 autem si hoc non est, verum est, & ita est, quod hoc non est; quare & secundum proximo hu-  
 ius præmissa, aliqua veritate & entitate priore verum est, & ita est, quod hoc non est. Dicitque  
 Philosophus 1. Post. 17. quod affirmatiua prior est negatiua, sicut esse prius est non esse.  
 Quod necessarium est prius possibili contradictionis.  
 Tercio quoque ex eodem colligitur, necessarium esse prius possibili contradictionis; hoc e-  
 nim euidenter apparet ex 17<sup>a</sup> parte, & alijs primi huius. Necessarium enim potest esse  
 sine tali possibili, non est contra; Nam per secundum omne tale possibile necessario conserua-  
 tur à Deo: Item si necessarium non sit prius possibili contradictionis; est igitur compar, vel  
 posterior; sed non est compar & coequalit cum eo, quia cum non fiat duo eque prima sim-  
 pliciter, oporteret illa duo reduci ad aliquod prius ambobus, tanquam ad primum principium  
 & primam causam illis comunem, sed nihil tale poterit assignari; nec possibile contra dicti-  
 onis potest esse prius necessario, quia tunc potentia præcederet actum; & non esse, esse; quod  
 est contra proximo nunc ostensa. Item si possibile contradictionis esset prius necessario, cum  
 tale possibile non de necessitate causet tale necessarium, posset esse sine illo, quod est contra  
 secundum huius, sicut superius est argutum. Item quod non habet causam prius est eo quod  
 habet causam; sed secundum Aristotem 1. Metaph. 6. Necesse est per se non habet causam,  
 & quod est possibile esse per se habet causam; Et infra eodem 8. Necesse est id quod per seip-  
 sum est veritas, posse verò esse esse per aliud à se; & cap. 6. probat, quod necesse est non habet  
 aliquid sibi coequalit, nec aliquid prius eo; sed ipsum per seipsum est primum omnium aliorum.  
 Quod necessarium est prius impossibili.  
 Quarto vero ex hoc potest cognosci quod necessarium est prius impossibili: Possibile e-  
 nim est prius impossibili sicut affirmatio negatione, habitus priuatione, & esse non esse,  
 & necessarium est prius possibili; sicut nouissimè probatur. Item necessarium non habet ad im-  
 possibile, sicut affirmatiuum ad negatiuum, habitus ad priuationem, & esse ad non esse; hæc  
 autem illa præcedunt.  
 Quod pure necesse esse, seu pura necessitas est prius simpliciter quolibet alio, ac radix pri-  
 ma & fundamentum primarium omnium aliorum.  
 Quinto ex eodem colligitur, quod pure necesse esse, seu pura necessitas est prius simpliciter  
 quolibet alio, ac radix prima & fundamentum primarium omnium aliorum; hoc autem  
 intellectus prioribus faciliter cognoscitur. Potest tamen ex abundantè breuiter sic ostendi; si  
 non sit ita, aliquid aliud est prius naturaliter necessario, vel coequalit cum eo; sed nullum non  
 necessarium est prius eo, quia cum omne ens posterius constitutatur in quolibet suo esse per  
 ens primum, sequeretur quod necessarium constitueretur in esse necessario per ens non neces-  
 sarium, sed possibile vel contingens, quod est impossibile manifestum, quia adhuc destructo  
 possibili maneret necessarium per seipsum, & quia nihil potest dare alteri firmitus esse quam  
 habet. Item si vna pars contradictionis est possibilis, reliqua est possibilis, & si vna est neces-  
 saria, reliqua est impossibilis; & si possibile constituit necessarium ex posse non esse, sequitur  
 necessarium non esse, ergo ex possibile sequitur impossibile & ex vero falsum. Tunc etiam pos-  
 sibile vel contingens esset prius necessario contra priora. Nec aliquid non necessarium est coe-  
 quale cum necessario, secundum præcedentia documenta; est ergo necesse esse principium omni-  
 bus alijs, & omnium prima causa. Opponet se forsitan aliquis contra ista, quia secundum priora  
 Deum esse est 1<sup>um</sup> principium, & per consequens Deum simpliciter esse, prius est quam ipsum  
 necessarium esse, seu esse necesse esse, & quia sicut pars præcedit totum, sic esse necesse esse. Dicen-  
 dum secundum priora, quod si Deus est, sit 1<sup>um</sup> principium; hoc nomen Deus significat 1<sup>um</sup>  
 ens essentialissimè & proprietissimè; quare & simili ratione maximè necesse esse, & prædicatum  
 seu verbum significabit quantum poterit correspondenter, sicut Deum esse, si sit primum  
 principium per se, & primo significat necesse esse sic esse. Et quæcunque esse, prædicatum  
 seu verbum significet, cum subiectum sit prius naturaliter prædicato & verbo, & ipsum ex se  
 primo esse necesse esse, adhuc necesse esse præcedit aliud esse quodcumque. Quod autem affumi-  
 tur consequenter quod esse præcedit necesse esse, vt pars totum, non est verum: Nam necesse  
 esse non habet aliquam partem priorem, nec aliquid prius omnino quo constitutatur in tali esse;  
 sed ipsum per se & primo est simplicissimè tale esse.

2.

3.

4.

5.

Quod

6. *Quod principium primum complexum summe & pure necessarium est & firmum.* A

Vnde & 6<sup>o</sup> patet indubie, quod principium primum complexum, summe & pure necessarium est & firmum; Hoc enim de summe & firmitate necesse est correspondenter coniunctum esse, sicut precedentia manifestant.

7. *Quod necessarium nequaquam recte per possibile vel per impossibile definitur.*

Septimo concluditur manifeste, quod necessarium nequaquam recte per possibile, nec per impossibile definitur; Nihil enim recte definitur per aliquid posterius eo, sicut 2. Post. & 7. Metaph. demonstratur, sed verumque istorum est posterius necessario; Non ergo recte definitur necessarium per hoc quod non est possibile non esse, vel per hoc quod impossibile est non esse. Ideoque Avicenna 1. Metaph. 5. reprobatur definitio Aristotelis Antiquorum de necessario, possibili, & impossibili, eo quod definebant illa per se inuicem circulando, ut patet de definitionibus quas ibi recitat ab Antiquis; dicitque ex his tribus id quod dignius est intelligi est necesse esse, quoniam necesse esse significat vehementiam esse; esse verò notius est quam non esse; esse enim cognoscitur per se, non esse verò per esse.

8. *Quod necesse esse non potest simpliciter definiti.*

Vnde & octavo constare poterit evidenter, quod necesse esse, non potest simpliciter definiti (Non enim habet aliquid simpliciter prius eo) Notificari tamen nobis & describi potest quodammodo per descriptionem à posterioribus, & ignotioribus, sed notioribus nobis sumptam, sicut in omnibus ferè sciencijs creberrimè definitur.

9. *Quod affirmativa est prior qualibet negativa, & quod quaelibet negativa vera reducitur ad aliam affirmatiuam priorem & causam veritatis illius.*

Hinc nono simpliciter clarè patet, affirmatiuam esse priorem qualibet negativa, & omnem negativam veram reduci ad affirmatiuam priorem, quæ sit causa veritatis illius. Primum namque principium quod est affirmatiuum est prima causa cuiuslibet alterius veritatis, sicut præhabita manifestant. Item hoc est verum de negatiua de qua minus videtur, de tali scilicet cuius verumque extremum est impossibile esse, ut Chimæra non est Trigelaphus; Hæc enim est vera, ergo habet aliquam causam veritatis; sed illa non est soli termini, quia illi soli per se non magis redderent propositionem veram quam falsam; imò nec veram, nec falsam; Nec illa causa potest esse Chimæra, nec Trigelaphus; hæc enim nihil sunt & per consequens nihil causant; est ergo aliquid existens causa veritatis illius: Hic autem potest quis instare, Nam propositio immediata non habet aliquam propositionem priorem, quæ sit causa veritatis illius, quoniam tunc per illam posset ostendi à priori; sed aliqua est propositio negativæ immediata, ut patet in libro Post. quasi per totum. Dicendum quod Propositionem esse immediatam potest esse dupliciter, scilicet simpliciter, vel in aliquo determinato genere, seu etiam per privationem medijs simpliciter, vel in certo genere. Primo modo nulla propositio negativæ est immediata, sicut ratio suadere videtur; secundo modo est, scilicet non omnino & simpliciter sed in genere Propositionum negativarum, sicut per privationem Propositionis negativæ prioris, per quam à priori valeat demonstrari, & sic potest intelligi dicitur liber.

10. *Quod prima causa cuiuslibet negationis vera est in Deo.*

Ex hoc videtur decimo, quod prima causa cuiuslibet negationis veræ sit in Deo; Cuiuslibet enim negationis veræ aliqua affirmatiua prior est causa, sicut proximo est ostensum, & cuiuslibet affirmatiuæ vera prima causa est primum principium complexum, scilicet Deum esse, sicut precedentia docuerunt.

11. *Quod Deus est prima causa cuiuscunque non esse.* E

Ex isto autem vndecimo videtur inferri, Deum esse primam causam cuiuscunque non esse. A quolibet enim non ente verè negatur esse; huius autem veritatis negativæ Deus est prima causa; sicut ostensum est proximo; est ergo prima causa sic essendi vel non essendi, sicut significatur peritiam; Nam in eo quod res est vel non est, oratio vera vel falsa dicitur, ut predicamentis Aristotelis videtur. Item Deus est prima causa cuiuslibet esse & non esse, & aliquid ens seu esse est causa cuius non esse vel non entis, ergo Deus est prima causa cuius non esse, vel non entis, ergo & cuiuscunque per similem rationem. Bonum enim non esse malum est quod non esse, & huius causa est bonum esse bonum, & homo non esse animal, quia,

A quia est animal rationale seu homo. Et in pure non entibus patet idem; Aliquod enim factibile non est factum, nec est, quia nullum faciens fecit illud; Species enim vel res quæcunque factibilis à solo Deo, sicut alia stella in cælo, vel alius angelus, ideo non fiebat nec erat, quia Deus non fecit, sicut saluatio nauis non fuit, quia naua non affuit, sed abfuit forsitan occupatus, ut patet per Aristotelem, 5. Metaph. 2. & per Anselmum de Conceptu virginis 3.

*Quod prima causa cuiuslibet impossibilitatis & repugnantia est in Deo.*

DVodecimo profertur ex isto, quod prima causa cuiuslibet impossibilitatis seu repugnantia est in Deo: Si enim impossibilitas & repugnantia capiuntur negatiue, patet per proximo nunc ostensa; si enim in Deo sit prima causa cuiuscunque negationis veræ, & non esse, erga & negationis, & non esse cuiuslibet impossibilis & repugnantis, & quia quælibet negatiua vera reducitur ad affirmatiuam priorem, & sic ad primum principium, scilicet Deum esse, sicut ex superioribus satis patet. Si verò affirmatiue & positue sumantur, patet similiter,

B cum per capitula proxima constet, Deum esse omnium talium causam primam. Item cuiuslibet impossibilitatis & repugnantia est aliqua causa, & Deus est causarum omnium prima causa: Hoc etiam potest probari, sicut precedentia probabantur; verum est enim, quod hæc est impossibilitatis, quocunque impossibili demonstrato; huius autem veritatis, quare & sic essendi, prima causa est primum principium, scilicet Deum esse. Item verum est quod impossibile est Chimæra esse Trigelaphus; huius autem veritatis causa non est soli termini, nec Chimæra, aut Trigelaphus, nec aliquid non ens; quia quod omnino non est, nihil omnino causare potest; aliquid ergo entium est causa illius, & Deus est omnium entium prima causa. Item omne quod est naturaliter & essentialiter prius alio, est aliqua causa eius; quia si non, tunc posset esse sine illo priori, quodlibet enim posterius potest esse sine quocunque priori, à quo causaliter non dependet in esse: Positum enim omnibus & solis illis prioribus, à quibus posterius causaliter dependet in esse, potest posterius illud poni; quia si non, hoc esset propter defectum alicuius cause essentialis, quæ necessario præexigeretur ad causandum illud in esse; sed iam sunt positæ omnes tales causæ, nec potest fingi, quod hoc sit propter defectum alicuius causæ accidentalis, cum non repugnet ei esse sine quocunque sibi accidentali, ut patet per illam definitionem accidentis notissimam superius memoratam. Patet ergo quod si prius non sit causa posterioris, posterius potest esse sine illo priori; & si posterius aliquid potest esse sine priori signato, illud non est prius naturaliter & essentialiter illo posteriori, sed accidentaliter forsitan tantum quod destruit hypothèsim præacceptam. Imo potius videtur quod illa sit corqualia, vel secundum nullum ordinem essentialium connexa: Si enim illud prius non sit causa posterioris, verumque potest esse sine reliquo, ergo non sunt naturaliter nec essentialiter ad inuicem ordinata, quàm vnicaque Arithmetica vel qualibet inconnexa, quod eadem subaerit hypothèsim prius fixam. Hoc ergo supposito, arguitur isto modo; Omne quod est naturaliter & essentialiter prius alio est aliqua causa eius; sed necessarium est naturaliter & essentialiter prius impossibili, sicut superius est ostensum; ergo necessarium est aliqua causa impossibilitatis & repugnantia cuiuscunque, & omne necessarium est primum necessarium, scilicet ipse Deus, vel causa & dependens ab ipso, sicut precedentia docuerunt. Imaginor enim quod sicut secundum præhabita primum omnium sit pura necessitas, siue purum necesse esse, stans omnino per se, non dependens ab alio quocunque modo; à quo sicut per eius similitudinem, & conformitatem oritur aliud necessarium vel possibile, est necessarium esse, vel possibile esse: sic per eiusdem dissimilitudinem, & contrarietatem seu oppositionem, omne impossibile est impossibile esse; patet igitur quod omne impossibile esse, ideo est impossibile, quia ipsum necesse esse necessarium sibi repugnat, & sic immobiliter prohibet illud esse. Sed ne forsitan mihi dicatur, quod res non sequuntur imaginationem, sicque huius imaginationis imago ad nihilum redigatur, muniam eam aliqua ratione. Omne enim impossibile esse proprie est impossibile esse, quia necessario & firmiter repugnat sibi esse; sed in ipso impossibile esse, cum omnino non sit, non est aliquid; quare nec aliqua necessitas, firmitas, seu repugnantia; illa ergo necessitas seu repugnantia est in alio existente, ita quod impossibile est illud esse, quia aliquid existens per se primo & necessario sibi repugnat; illud verò impossibile repugnat huiusmodi existenti, non per se & primo, sed tantum per repugnantiam existentis, quia sicut illud existens sibi repugnat, sicut est in relativis tertij modi, quæ dicuntur secundum mensurabile & mensuratum, cuiusmodi sunt sensibile, & intelligibile, leuia sensatum; sicut & inrellectum cum suis correlatiuis. Hæc enim dicuntur relativis, non quia per se, & essentialiter referuntur; sed quia accidunt eis, quod alia, scilicet correlatiua per se & essentialiter referuntur ad illa, & mensurantur ab eis, ut patet quinto Metaphysicorum 20. & limit-

liter in Commentar. Videtur ergo, quod omne impossibile esse, ideo sit impossibile esse, quia  
 A aliquid existens per se & primo sibi repugnat prohibere illud esse. omne autem existens est  
 prima & pura necessitas, seu necesse esse, vel causatum & dependens ab eo. Item impossi-  
 bile & possibile dicuntur ad inuicem relatiue secundum priuationem, vt patet 5. Metaph.  
 vbi prius; sed de impossibili cum sit pure non ens, nulla relatio per se & essentialiter potest  
 conlurgere seu fundari, quia tunc duo pure non entia possent referri ad inuicem per se & ef-  
 fentialiter, sine coexistentia alicuius existentis omnino: Ista ergo relatio per se & primo fun-  
 datur in extremo positivo; scilicet in possibili, & emanet ab eo, & sic attribuitur, & accidit  
 quodammodo extremo alteri priuatiuo, sicut de rebus tertij modi proximo dicebatur.  
 Possibile ergo causat istam relationem & impossibilitatem, & necesse esse est prius possibili  
 esse; & causalitatis, sicut superius est ostensum, & Deus est prima causa omnium possibilium  
 & necessarium, ac omnium causationum illorum. Item ideo impossibile est impossibile,  
 quia repugnat possibili, imo quia possibile sibi repugnat. Possibile ergo est prima causa hu-  
 B manarum repugnantie & impossibilitatis, & Deus est prima causa omnis alterius causationis & cau-  
 sa: Istud potest confirmari per hoc quod omnia opposita reducantur ad prima opposita, quae  
 sunt habitus & priuatio, vt patet 10. Metaph. 15. & 12. Metaph. 23. & ibi probatur, quod illa  
 sunt in genere substantiae; habituale autem & positium est naturaliter prius alio; quare &  
 aliqua causa eius sicut precedentia manifestant. Primus ergo habitus in genere substantiae,  
 scilicet Deus ipse, est prima causa cuiuslibet priuationis; quapropter & impossibilitatis &  
 repugnantie cuiuscunque. Item causa propinqua quare quicquam est possibile, est, quia  
 Deus illud potest, sicut superius est ostensum. Ergo causa propinqua quare quicquam non  
 est possibile, est quia Deus illud non potest; & quia Deus hoc non potest, non est propter de-  
 fectum potentiae in eo, cum sit omnipotens. Vnde Aueroes super 8. Phys. 4. Agens non  
 C posse facere aliquid impossibile, non est diminutio agentis; & imo propter abundantiam suae  
 potentiae infinitae, ideoque potentissime hoc non potest; hoc enim non potest quia repug-  
 nat suae potentiae infinitae; imo quia sua potentia infinita immobiliter sibi repugnat, sicque  
 necessario prohibet illud esse. Et quia secundum prius ostensa. Actus enim in Deo praede-  
 dit potentiam, ideo sua potentia impossibili tali repugnat, quia suus actus purissimus immo-  
 biliter & necessario sibi repugnat; & hoc est, quia est purum necesse esse, seu pure neces-  
 sitas: Hoc enim est primum simpliciter omnium affirmationum & negationum, sicut supe-  
 rius est ostensum; & haec videtur totius impossibilitatis resolutio consummata. Haec autem  
 ratio fundatur in dicto Philosophi 1. Post. 12. vbi inquit medium negatiuum demonstratiuum  
 propinquum conclusionis negatiuae; vt quare paries non respirat: ostendens non posse dici  
 quia non est Animal, quia tunc esse Animal esset causa propinqua respirandi, & sic omne Ani-  
 mal respiraret: Si enim negatio est causa ipsius non esse, affirmatio est causa esse; sicut esse sine  
 mensura calidi & frigidi est causa non sanandi, sic esse cum mensura eorum est causa sanandi; &  
 similiter, si affirmatio est causa esse, & negatio est causa non esse. Item quodcunque est impos-  
 D sibile, Deus illud non potest: Vel ergo illud est impossibile, quia Deus illud non potest; & sic  
 habetur propositum; vel ideo Deus illud non potest, quia est impossibile; & sic secundum  
 proximo allegata. Ideo Deus potest quodcunque possibile, quia illud est possibile; sic quo-  
 que possibile esse possibile esset prius naturaliter, quam Deum illud posse, & causa prima,  
 quare Deus hoc potest, quod precedentia non permittunt, & tunc Deus recipiet poten-  
 tiam & perfectionem ab alio, nec sufficeret plenissime sibi ipsi, nec esset omnium prima causa.  
 Etiam si sic esset, aliqua creatura, imo, quod videtur indignum, quod videtur pure non ens non crea-  
 tum nec creabile prohiberet, impossibilitaret, & inuitabili necessitati supponeret omnipotentem  
 vt faciat, vel ne faciat hoc vel illud, & similiter cogeret intellectum diuinum ad intelligendum  
 huiusmodi & sciendum; & eius voluntatem potentissimam atque liberrimam ad volendum.  
 Haec autem sententiam tenet Henricus de Gandauo 8. de quolibet quaest. 3. dicens quod non  
 est verum dicere de aliquo impossibili simpliciter quod Deus non potest hoc facere, quia illud  
 E non potest fieri: sed potius non potest fieri, quia Deus non potest illud facere, sicut & in af-  
 firmatiua, non dicitur Deum posse aliquid facere, quia illud potest fieri, sed & contrario. Hoc  
 idem probat similiter Ioannes Scotus super 1. sentent. dist. 43. per rationem priorem fundatam  
 ex primo Post. & per aliam similem, & hoc tenent suauiter dicitur, quod impossibile est im-  
 possibile simpliciter, nisi quod includit contradictoria, & impossibilia, quae ex ratio-  
 nibus formalibus sunt incompensibilia; & ab eo sunt principiter incompensibilia, &  
 quae principiter habent suas rationes formales; scilicet ab intellectu diuino, & simpliciter  
 men ex se. Obijce forsan aliquis contra dicta per dictos Doctores. Haec non tenent  
 tenent contrarium 6. de quolib. quae questione tertia manifeste, scilicet quod prius causa  
 quare

Auerroes.

Henricus de Gandauo.

Ioannes Sco- tus.

Henricus de Gandauo.

A quare aliquid est possibile est ex Deo; sed prima causa quare aliquid est impossibile est ex se  
 & ex natura rei, communissime loquendo de re, scilicet vt est communis ad omnia intelli-  
 gibilis existentia vel non existentia; & ad hoc allegat Aueroem 4. Metaph. dicentem, quod  
 ideo agens non potest, quia non est possibile in se. Idem quoque Iohannes probat contra-  
 rium vbi prius, & arguit isto modo: Nihil est impossibile simpliciter nisi cui simpliciter re-  
 pugnat esse, & hoc primo ex se, quia ex suis primis & per se rationibus formalibus, circum-  
 scribendo quodlibet aliud; imo & si per impossibile Deus non esset, adhuc illud esset impos-  
 sibile. Dicitque ibidem quod possibilitas & impossibilitas, possibilitium & impossibilium re-  
 ducuntur principiter ad intellectum diuinum, non ad eius omnipotentiam seu potentiam,  
 quod videtur praehabere obuiare. Ad haec autem dico quod videtur mihi cum Iohanne praedi-  
 cto vbi prius, quod Henricus per dictum secundum dictum corrigat, seu retractat.  
 Posset tamen ipse Henricus, Auicenna, & Iohannes intelligere, quod nulla pura priuatio seu  
 B impossibilitas priuatiua per se & primo, quae non dependeat ab aliquo positivo priori, est in  
 Deo, quae sit causa priuationis & impossibilitatis impossibilium, sicut aliquid positium in eo  
 per se & primo est causa cuiuslibet possibilitatis possibilitium: sed impossibilitas ex parte rei im-  
 possibilis, id est, pura & prima necessitas non essendi est impossibilium esse, est causa quare  
 Deus & quodcunque actuum non potest; haec autem necessitas positua secundum praeha-  
 bita est in Deo. Sed ratio Iohannis non procedit; Impossibile enim esse, non per se & primo  
 repugnat esse, sed quia primum esse necessario sibi repugnat, sicut superius erat dictum. Nec  
 est hoc primo ex rationibus formalibus quas imaginatur; Si enim illae rationes sint aliquo mo-  
 do causa, reducantur ad causam priorem, ad Deum scilicet causarum omnium causam 1. ad;  
 & hoc patet per ipsummet ibi dicentem quod talia sunt principiter incompensibilia ab eo, &  
 quae habent principiter rationes suas formales, scilicet ab intellectu diuino. Quod autem  
 C dicit, & si Deus non esset, adhuc tale quid esset impossibile, si impossibile sumatur affirmati-  
 ue, falsum est; quia si ipse non esset, nihil positium vel affirmatiuum esset; si autem sumatur  
 pure negatiue scilicet pro non possibile esse, sic verum est. Ipse enim est prima & summa po-  
 tentia, quae quodlibet possibile necessario est possibile, ideoque ipse non ens, nihil esset pos-  
 sibile, sed ex hoc non sequitur quod volebat. Vel aliter & forte melius potest dici, quod Deum  
 non esse, necessarium est contradictione includit; quare & posito Deum non esse, necdum vna  
 pars contradictionis in multis & forte in omnibus, sed & altera necessario consequetur. Potest  
 que similiter argui contra illum; Dicit enim quod intellectus diuinus est causa impossibilitatis  
 in rebus. Licet enim Deus nihil intelligeret circa impossibile, quia secundum eum licet Deus  
 non esset adhuc impossibile, esset impossibile; ergo per consequentiam propriam intellectus  
 diuinus non est causa impossibilitatis illius. Et quod dicit, quod possibilitas, & impossibilitas  
 redduntur principiter ad intellectum Dei, non ad eius omnipotentiam seu potentiam, videretur  
 D mirabile, quoniam secundum modum suum imaginandi crederemur, essentia diuina est  
 principium potentiae in Deo: cum actus praecedat potentiam in eo, & ipsa est aliquo modo  
 prior actuali intellectione eius. Ex hoc enim videtur potentissime & perfectissime intelligere  
 vniuersa, quia habet potentiam intellectuum perfectissimam & potentissimam. Videtur igitur es-  
 sentia siue purum esse, principium potentiae siue posse, & hoc intellectus actualis; & quicquid  
 est principium principij, est principium principij. Essentia ergo & potentia diuina sunt priora  
 principia possibilitatis & impossibilitatis, quam intellectus diuinus. Probat autem hoc dictum  
 suum sic; Per quodcumque in Deo possibile primo constituitur in esse intelligibili, illud est  
 E materia possibilitatis; sed per omnipotentiam vt distinguitur contra intellectum, non consti-  
 tuitur creatura in esse intelligibili, sed per intellectum. Sed minor huius rationis videtur pec-  
 care; Si enim intellectus diuinus constituit aliquid in esse intelligibili, cum hoc non possit  
 esse, non intelligendo illud, constituit ipsum in esse intelligibili, intelligendo illud; & cum  
 constituit creaturam constitutum in aliquo esse, sit prius naturaliter quam illud constitutum esse  
 tale, videtur quod Deus prius naturaliter intelligat quodcumque intelligibile, quam illud sit  
 F intelligibile; quod tamen non apparet, imo magis videtur contrarium. Videtur enim quod  
 scibile in esse scibili praecedit scientiam, & intelligibile in esse intelligibili, intellectu. Videtur  
 enim quod essentia diuina ex infinitate suae potentiae & virtutis, distinctissime & quodammodo  
 ad nominatim constituit intellectum, & continet intelligibilia vniuersa, & eorum omnium  
 primas purissimas & propriissimas rationes; & haec sunt ideo de quibus Philoophi & Theo-  
 logi torloquantur, sic quodammodo praeniciens intellectum diuinum, offerit ista sibi vt ob-  
 iecta, & sic intellexit omnia esse sequenter. Et hoc videtur Esaias testari 40. de Deo sic  
 dicens, Omnes ex nomine vocat, praenuntiando finem iudicij & roboris, virtutisq; eius, neq;  
 vni relictum fuit; vbi glossa intellexit, praenuntiando finem iudicij sic exponit, quia est omni-  
 potens;

Auicenna, Iohannes Scotus.

potens; ergo eius omnipotentia est causa sua intellectiois, & potentia, & hoc modo praedictum. **A** Ex hoc specialiter potest argui contra Scotum. Si enim omnipotentia Dei sit causa sua intellectiois, & sua intellectio sit causa constituens intelligibilia in esse intelligibili, ergo & sua omnipotentia ista constituit in hoc esse. Quaequid enim est causa causa est causa causati. Et hoc potest confirmari ex propriis dictis ibi. Probat enim quod omnipotentia Dei est prior creatura, secundum quodlibet suum esse, siue existentia, siue intelligibile; per hoc, quod haec omnipotentia est ex se formaliter necessaria, creatura vero possibilis secundum quodlibet suum esse, & tale necessarium praecedit omne tale possibile, sicut ipse sibi supponit, & ego superior ostendebam, est ergo causa illius non praecedentia suae creaturae. Item contra rationem aliam dicti sui. Dicit enim quod Intellectus diuinus producit aliqua duo intelligibilia in esse intelligibili, scilicet sic producta ex rationibus suis formalibus, per se & primo repugnanti, & sunt incompossibilia: videtur quod eadem ratione deberet consequenter hoc dicere, de compossibilibus, possibilibus, similibus, aequalibus, maioribus, minoribus, & vniuersaliter de omnibus positiuis, scilicet quod acceptis rationibus suis formalibus per se & primo sunt talia per seipsa, seu per rationes suas formales. Ratio namque formalis albi tantum facit album esse album, sicut non esse nigrum, imo prius & magis. Album enim per hoc quod est album non est nigrum, & vniuersaliter omnis negatiua vera, reduciuntur ad aliquam affirmatiuam veram priorem, ut patet per priora; et sic nullius positiui citra Deum, & prima causa seu ratio esset in Deo, cum tamen Deus sit omnium talium prima causa, & sicut ipsemet dicit, quod possibilitatis cuiuslibet prima ratio est in Deo.

C A P. XIII.

*Quod diuina voluntas est causa cuiuslibet futuri atque praeteriti, quare ipsum est fate.*



**V** autem tractatus de causalitate voluntatis diuinae finaliter compleatur, ostendendum existimo quod diuina voluntas est causa cuiuslibet futuri siue praeteriti, quare ipsum est tale. Nam secundum Philosophum 2. Post. 3. quae verè est causa efficiendi quodcumque, eadem est causa fieri, facti esse, & futuri esse, & secundum Lincolniciensem, haec est conclusio 18. illius secundi: sed diuina voluntas est verè causa efficiendi quodcumque: sicut capitulum nonum probat. Vnde Augustinus 22. de Ciuit. Dei 2. Secundum illam voluntatem Dei, quae cum eius praesentia sempiterna est, profecto in Coelo & in terra, omnia quaecumque voluit non solum praeterita vel praesentia, sed etiam futura iam fecit. Verum antequam veniat tempus quo voluit fieret, quod ante tempora vniuersa praescribit atque disposuit, dicimus. Fiet quando Deus voluerit: si autem non solum tempus quo futurum est, verum etiam vtrum futurum sit, ignoramus, dicimus; Fiet si Deus voluerit, non quia Deus nouam voluntatem quam non habuit, nunc habebit; Sed quia id, quod ex aeternitate in eius immutabili preparatum est, voluntate, tunc erit. Hoc idem patere videtur per Anselm. Mono. 18. & de Veritate 10. & per August. 1. Solutio. 21. secundi eiusdem 20. & 26. Contra Faust. 2. sicut vnde cum huius tangit, quod & magis apparet, si quis attendat Augustinum ibidem contra Faustum, ne cum ponere causas rerum futurarum, praesentiarum, & praeteritarum in Deo, sed & in voluntate diuina. Vnde sic ait, Quid de Helia factum sit nescimus; hoc tamen de illo credimus, quod vera scriptura testatur; Illud sane scimus de eo factum, quod Dei voluntas habet. quod autem Dei voluntas non habet, fieri de quo cumque omnino non posse. Proinde si mihi dicatur, posse fieri ve caro, verbi gratia, huius vel illius hominis in corpore caeleste mutetur, concedo fieri posse, sed vtrum futurum sit, nescio; et ideo nescio quid habeat de hac re Dei voluntas, melius: Illud tamen me non latet, sine dubio futurum, si hoc Dei voluntas habet. Et infra, tam non possunt futura non fieri, quam non fuisse facta praeterita, quoniam non est in Dei voluntate vt contra aliquid factum, quo verum est. Quapropter omnia quae verè futura sunt sine dubio erunt, si autem facta non fuerint, futura non erunt. Ita omnia quae verè praeterita sunt, sine dubio praeterierunt. Item futura & praeterita nullum esse habent omnino, ergo nec aliquid cause habent, nec aliquid veritatis, quare nec veritati ex se habent esse futuram, neque praeteritam. Habent ergo haec propriae aliquam aliam causam, & illa non potest esse pure non ens propter idem; vel saltem illa reduciuntur ad causam aliquam existentem, & omnium causarum existentium

Augustinus.  
Anselmus.  
Augustinus.

**A** Dei causa, quare quodcumque futurum ad vtrumlibet est futurum, ergo eadem ratione quodrumlibet aliorum: Antichristus enim ex se nullum esse habet omnino; ergo ex se non magis determinatur ad vnam partem contradictionis, quam ad aliam; ergo de se tantum non est futurum, sed pure indifferens. Si ergo sit futurum, hoc est per aliquam causam determinantem; sed illa causa necessario est diuina voluntas, vel ad illam reduciuntur, vt ad primam & supremam causam determinationis illius. Item Antichristus futurus non magis ex se habet, vnde sit futurus, quam Prochritus aequaliter possibilis futurus, sed nunquam verè futurus: sed iste non est ex se futurus, ergo nec ille, sed per aliquam aliam causam, quae sine diuina voluntate causare non potest. Adhuc autem, aliquid non futurum possibile tamen fore, vt A potest Deus facere, fore, & esse futurum; quod si fiat, voluntas diuina est causa quare A est futurum, quare & similiter de similibus vniuersis. Quapropter & Iohannes super: 1. Sentent. dist. 35. dicit, Quod nihil tale de futuro est verum ante determinationem voluntatis diuinae, sed illa determinatione praedicit naturaliter sicut causa. Item eadem est causa nunc quare futurum quodlibet est futurum, quae fuit ante mundum: sed tunc voluntas diuina fuit causa omnium futurorum, ergo adhuc est, cum secundum quintum capitulum Deus sit immutabilis omni modo. Item magis est esse futurum, quam esse possibile; sed nullum futurum ex se habet esse possibile, ergo nec futurum: Omne enim possibile, aliqua potentia est, possibile; sed nullum futurum habet aliquod esse, ergo nec aliquam potentiam. Nullum ergo futurum est possibile esse nisi quia aliquid praesens potest facere illud esse: sed nullum praesens potest facere aliquid sine voluntate Dei coagente; nulla ergo possibilitas, aut causa possibilitatis est in futuris, sed in praesentibus, & prima & summa omnium causarum, & possibilitatum, seu potentiarum praesentium est in Deo. Eadem quoque est causa possibilitatis futurorum nunc, sicut ante mundum: sed tunc fuerat solus Deus, vt patet per venerabilem Anselmum, De casu diaboli, 12. manifestè secundum quod capitulum 12. allegauit. Item omne quod necesse est esse aequale, aliqua necessitate necesse est esse tale, sed nullum praeteritum habet aliquod esse, ergo nec aliquam necessitatem; & quodlibet tale necesse est esse praeteritum; ergo hoc est per aliquam necessitatem praesentem, quae necessario est Deus, vel dependet ab eo, quare & a voluntate illius. Vnde & Anselmus 2. Cur Deus homo 17. Omnis necessitas aut impossibilitas Dei subiacet voluntati; illius autem voluntas nulli subditur necessitati aut impossibilitati; nihil enim est necessarium aut impossibile, nisi quia ipse ita vult. Item primum verum est causa cuiuslibet veri sequentis, quare & causa sic efficiendi realiter, sicut significat quodlibet verum sequens: Primum autem verum est in Deo, sicut cap. 1. cum 12. docuit: ergo in Deo est causa efficiendi verum, quodlibet verum de futuro, & sic efficiendi, sicut significatur per illud, & hoc non est sine voluntate praecedente, vel etiam concomitante. Item Deus cum voluntate sua praecedat naturaliter omne praeteritum, & futurum, ergo est causa eorum, sicut capitulo proximo est ostensum. Hoc etiam tenet expresse Petrus Lombardus, 1. Sentent. dist. 35. 4. sic dicens, haec itaque summe bona voluntas causa est omnium quae naturaliter sunt, vel facta, siue futura sunt. Nonne & hoc est quod viginii quatuor Seniores concorditer attestantur, dicentes sedenti in throno; Tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt, Apocal. 4. Erant, inquam, sicut exponunt Doctores prius in praedestinatione, in arte, in Sapientia Dei, & creata sunt postea in opere, & effectum.

C O R O L L A R I V M.

*Et habet corollarium: Si Deus esse desineret, nihil esset praeteritum nec futurum, verum nec factum, possibile vel impossibile, necessarium vel contingens, nec etiam posset esse: ex quo & oppositum sequitur euidenter, videlicet ipsum Deum, & sic aliquid praefuisse, esse, & fore. O quam necessarium est hunc esse, quam tam impossibile est desinere unquam esse, & quod Deum qualitercumque non esse, contradicere non necesse est, videtur maxime proprium nomen Dei.*

**V**nde videtur corollarium mirum sequi, scilicet si Deus esse desineret, nihil esset praeteritum, nec futurum, verum, nec factum, possibile vel impossibile, necessarium vel contingens, nec etiam posset esse: ex quo & oppositum sequitur euidenter, scilicet ipsum Deum, & sic aliquid praefuisse, esse, & fore, & similiter alia posse esse per omnipotentiam Dei magnam. O quam necessarium est hunc esse, quem tam impossibile est desinere vaquam esse, quem etiam qualiter